

8-  
9

ТОРЖЕСТВЕННЫЙ АКТЪ

ВИШЕЛЬЕВСКАГО ЛИЦЕЯ,

ПО СЛУЧАЮ

ОКОНЧАНІЯ 1858-59 АКАДЕМИЧЕСКАГО ГОДА.



ОДЕССА,

ВЪ ТИПОГРАФІИ П. ФРАНЦОВА.

1859.

41  
84

1  
4

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ І. І. МЕЧНИКОВА

**DE JOVE LYCÆO.**

**ORATIO**

IN SOLEMNIBUS ANNIVERSARIIS LYCEI ODESSANI DUCIS RICHELIEU

DIE XXX AUG. MDCCCLIX

HABITA

A PROFESSORE H. LYCÆI

**VLADISLAV JURGIWICZ.**

---

ODESSE.

TYPIS FRANZOVIANIS.

MDCCCLIX.

Печатано по опредѣленію Совѣта Одесскаго Ришельевскаго Лицея.  
Мая 25-го дня 1859 года.

Секретарь *Ловиновъ.*

41
84



## DE JOVE LYCAEO.

Cum omnis antiquitatis cognitio multa continet obscuriora et explicatu difficilia, tum praesertim quae in fabulis mythicis explicandis versatur. Sunt sane quaedam velut crassis occultata tenebris, quae vix, ac ne vix quidem ullo sole illustrari poterunt, alia vero, magna ex parte, adeo incerta et dubia, ut fere nulla regula, ad quam judicia dirigantur, servari queat, latissimeque vagari conjectura liceat. Hinc factum videmus, ut recentiorum omnes, qui explanando deorum gentilium cultui operam navarunt, cum quisque conjecturae suae inniteretur maximeque suis videri vellet, in varias discesserint sententias. Haec cum assero, non sic intelligi volo, quasi plane desperem cognitionem certi, cum post tot Virorum Doctissimorum curas multa Herculeo labore in lucem sint retracta, sed ut mihi quoque conjectandi licentiam vindicem, veniamque ab iis impetrem, quorum sententias oppugnaturus sum. Mythologiarum libros ceteraque Mythologorum scripta mihi evolventi accidit, ut de Jove Lycaeo aut nihil omnino scriptum invenerim, aut, si quae prolata sunt, nimium quantum vacillare et claudicare viderentur. Operae pretium

igitur esse putavi hoc quaecunque ex Mythologia dare libamentum, meamque de Jove Lycaeo sententiam aequis harum rerum arbitris permittere.

Inter varia Jovis epitheta legitur passim in veteribus scriptis epitheton Lycaei<sup>1)</sup>. Ita appellatum fuisse constat Jovem in Arcadia, ubi antiquissima hujus religionis vestigia deprehendimus. Templum habuit et aram in monte Lycaeo<sup>2)</sup>, a quo cognomen accepisse putarunt veteres, primusque Lycaon, Pelasgi filius, Arcadium rex, Cecropis aequalis sacra ludosque in honorem ejus instituisse fertur<sup>3)</sup>. In Lycaeo natum atque educatum asserebant Arcades; quin et locum, ubi lucem aspexerit, quae Cretea dicebatur, ostendebant, Nympharumque proferebant nomina, a quibus nutritus fuerit, Thisoae, Hagnus et Nedae<sup>4)</sup>. His fabulis, velut amplificandae admirationis causa, adjiciebant alia etiam monstruosa mendacia, quae ex vulgi sermonibus collecta servavit nobis Pausanias aliique scriptores. Ejusmodi sunt, quae de ara Jovis Lycaei, de fonte sacro, de Lycaone in lupum mutato commenta leguntur. Aream nempe visentibus ostendebant, quam adire nefas putabatur, fingentes ei, qui religione sprete in illam pedem intulerit, fatale esse intra annum mori, homines insuper et animalia, si qua intra sacrum septum constiterint, nullas e corporibus umbras reddere<sup>5)</sup>. Fonti item sacro miram aiebant esse naturam imbriumque ciendorum potestatem; proiecto

<sup>1)</sup> Graecis Ζεύς Λυκαῖος.

<sup>2)</sup> Paus. 4, 22. 8, 38. Plin. 4, 6, 10.

<sup>3)</sup> Paus. 8, 2. Schol. Eurip. Orest. 1462.

<sup>4)</sup> Paus. 8, 38.

<sup>5)</sup> Paus. 1. 1. cf. Theopomp. apud Polyb. 16.

enim ramo querno in summam aquam (quod solemnī ritu, re divina antea facta, victimisque mactatis fiebat) nebulam oriri, mox nubes cogi, imbribusque arva Arcadica perfundi, atque hoc modo segetibus aritudine pereuntibus a sacerdotibus succurri<sup>6)</sup>. Lycaonem tandem fabulabatur Jovi apud se hospitanti infantis mactati exta inter sacra apposuisse ac propter id facinus in lupum fuisse mutatum. Idque deinceps etiam obtinuisse, ut singulis Jovis Lycaei sacris, unus eorum, qui rem divinam facerent, quasi in perpetuam rei memoriam in lupum mutaretur, pristinamque figuram nisi decimo anno non recuperaret, si intra hoc spatium humana carne abstinuisset<sup>7)</sup>.

Hae Arcadium de Jove Lycaeo fabulae, sicut aliae etiam, quae aliunde repetitae cum illis conferuntur, fidentius argutiusque a recentioribus Mythologis explicari solent, quam verius, tantumque abest, ut singulae de Jove sententiae satis firmis superstruantur fundamentis, ut potius debiles sint ac jejunae. Cujus rei causam si quis quaerat, nullam aliam allegare possumus, nisi quod harum rerum interpretes, ne in levioribus laborasse videantur, nimis altos quaestionum sinus facere solcant, viamque malint tortuosam potius ingredi, quam rectam. Quod ut appareat, ponam in medio recentiorum sententias acutulasque conclusiones, quibus rem extra omnem controversiam constituere arbitrantur.

<sup>6)</sup> Paus. 1. 1.

<sup>7)</sup> Paus. 8, 2. Eandem fabulam varie a veteribus decantatam invenimus. Cf. Apollod. 3, 8. Ovid. Met. 1, 298. Plutarch. Quaest. Gr. 39. Tzetzes Lycophr. 481, qui Lycaonem cum 50 filiis in lupum mutatum fuisse dicit.

Cum *Λυκαῖος* a *Λύκος* plerisque Viris Doctis optime derivari posse videatur, accedatque, ut Lycaonis nomen ejusdem sit radicis, cum praeterea de ejus in lupum mutatione fabulam respiciant, incidunt in opinionem cognomine Lycaei peculiarem aliquam Jovis naturam denotari, atque id negotii sibi primum dari existimant, ut quomodo lupi notio cum Jove connexa sit, reperiat. Creuzerus<sup>8)</sup>, Vir acerrimi ingenii maximeque in his studiis versatus, lupum in hieroglyphicis Aegyptiorum litteris lucis symbolum fuisse ait, quippe qui Horo, quem Aegyptiorum Apollinem fuisse constet, consecratus fuerit, contenditque apud Graecos etiam eandem lucis notionem cum lupo fuisse conjunctam. Attamen argumenta, quibus Vir Doctissimus ad probandum nititur, totidem quasi testes sunt, qui contra ipsum clamant. Quod enim affirmat apud Aegyptios et Graecos lucis notionem lupo subjectam fuisse, colligit ex fabulis, in quibus lucis notio a lupo est alienissima. Ejusmodi est fabula, in qua Osiris in pugna Hori cum Typhone, assumpta lupi forma, auxilium filio ex inferis dicitur tulisse<sup>9)</sup>, ubi minime dubitat Creuzerus, quin de luce sit cogitandum. Quae sententia quantum ab omni veritate remota sit vel tantisper examinanti manifestum est. Etenim ne sub cogitationem quidem cadit, ut ex inferis unquam lux possit emergere. Nec vero plus ad rem probandam facit fabula, in qua Latona dicitur specie lupae induta Delon venisse<sup>10)</sup>, quandoquidem, nisi Latonam, contra

<sup>8)</sup> Vide versionem gallicam J. D. Guigniaut, vol. II, cap. 6 p. 532. Cap. 4, p. 108, 121 et alibi.

<sup>9)</sup> Diod. Sic. 1, 88. Cf. a Creuzero citata ad cap. 4, p. 121.

<sup>10)</sup> Aelian. Hist. anim. 4, 4.

unico veram opinionem, qua dea noctis esse putatur, deam lucis putaverimus, maxime vereor, ne aliud quid hic etiam lateat. Parum quoque afferunt auxilii, quae ex etymologica vocum similitudine huc trahuntur, cum iis etymologia plane diversa a Hesychio opponatur. *Λυκάβας*, annus solaris, qui a Creuzero a *Λύκος* derivatur lucisque notionem continere ipsi videtur, apud Hesychium plane contrarium significat<sup>11)</sup>. *Λυκάβας ὁ ἐνιαυτός καὶ Λυκάβαντες οἱ ἐνιαυτοὶ παρὰ τὸ λυγαῶς βαίνειν, ὁ ἐστὶ σκοτεινῶς· λεληθότως γὰρ ὁ χρόνος διέρχεται.* Simili modo Apollinis cognomen *Λύκειος*, confusum ab antiquis interpretibus cum *Λυκαῖος*, quod Creuzerus ita interpretatur, quasi Lucelius vertendum sit, a Hesychio adj. *φοβερός* explicatur<sup>12)</sup>. En gravissima Creuzeri argumenta. Eidem opinioni favent: Stackelberg<sup>13)</sup>, Preller<sup>14)</sup>, Richter<sup>15)</sup>, Leontieff<sup>16)</sup>.

Contrariam sententiam amplexus est J. G. Hugo<sup>17)</sup>, qui in explicanda fabula, in qua Latona, assumpta lupae speciei, Delon migrasse dicitur, lupum esse crepusculi symbolum opinatur, idque perspicere posse sibi persuadet cum ex significatione vocis *Λυκόφως* (quod Graecis cre-

<sup>11)</sup> Hesych. s. v. *Λυκάβας*.

<sup>12)</sup> Hesych. s. v.

<sup>13)</sup> In libro, qui inscribitur: Der Apollotempel zu Bassae in Arcadien, Rom, 1828, quem nomine tantum mihi notum esse fateor. Disputavit auctor teste Guigniaut, quem supra laudavi, quaedam de Jove Lycaeo, consentitque cum Creuzero, ut ex notis Guigniaut apparet.

<sup>14)</sup> Lexic. Pauli s. v. Jupiter.

<sup>15)</sup> Phantasien des Alterthums.

<sup>16)</sup> О поклонении Зевсу въ древней Греции. Москва, 1850.

<sup>17)</sup> Untersuchungen über den Mythos der berühmten Völker der alten Welt, vorzüglich der Griechen p. 174, 175.

pusculum), tum ex ritu Aegyptiorum sacro, cujus mentionem facit Herodotus<sup>18)</sup>. Vulgata nempe erat per Aegyptum fabula, Rhampsinitum regem vivum olim in inferos descendisse, ibique cum Cerere alea lusisse, dein rursus in lucem emersisse. Quem illius descensum celebrabant quotannis Aegyptii relinquentes unum e sacerdotibus obligatis oculis in via, quae ad Cereris templum ducebat, fingebantque eum a duobus lupis in templum duci atque reduci. Suspiciatur Vir Doctus lupos hosce in medium quid indicare inter lucem et tenebras, nimirum crepusculum, suamque sententiam stabilire nititur iis, quae de luporum natura comminiscitur, eos scilicet in Aegypto minoris esse ferocitatis, quam in septentrionalibus regionibus, ideoque non interdum grassari, sed vesperscente die e latebris suis exire, primoque diluculo aufugere. Quomodo ex his colligi possit lupum esse crepusculi symbolum, puderet me dicere non intelligere, si ille ipse intelligeret, qui ista dixit.

Tertia est eorum sententia, qui, servata feritatis imagine, lupum symbolum fuisse censent vindictae divinae acrioribus suppliciis sceleratos homines coercentis. Hanc notionem inesse compluribus nominibus a *Λύκος* derivatis, ut *Λυκαῖος*, *Λύκελος*, *Λυκάων*, *Λυκούργος*, idque fabulis antiquis arbitrantur comprobari. Stühr<sup>19)</sup> ex fabula de Lycaone in lupum mutato, qui dignas sceleris admissi poenas persolverat, colligit inditum fuisse Jovi cognomen

<sup>18)</sup> Herodot. L. 2, c. 122.

<sup>19)</sup> Allgemeine Geschichte der Religionssysteme der heidn. Völker p. 196.

Lycaeo, ut scelerum esse vindicem ultoremque appareret. Idem lupum Apollini sacrum nihil aliud significasse ait apud veteres Graecos, quam promptum ad ulciscendum animum dei, qui pestem, morbos, locustas aliaque mala hominibus immittere putabatur; qua etiam mente positum fuisse Delphis aeneum signum lupi<sup>20)</sup>, qui thesaurum furto surreptum dellexerat. Hanc cum tenet Vir Doctus sententiam minime dubitat, quin *Λίκελος* idem sit ac *Λυκαῖος*, eandemque exprimat notionem<sup>21)</sup>. Comparari possunt, quae disputat de hac re Winkelmann<sup>22)</sup> ac de Apolline Lycaeo Haupt<sup>23)</sup>.

Ab his omnibus C. Otf. Müller<sup>24)</sup>, ne iter a multis tritum ingrediatur, ita dissentit, ut *Λυκαῖον* non a vocabulo *Λύκος* repetat, verum ab obsoleto *Λύκη*, cognato cum Latinorum voce lux, cujus vestigia in *Λευκός*, *Λύχνος* aliisque nominibus appareant, nec desunt, qui huic sententiae adstipulentur<sup>25)</sup>.

Cum igitur VV. DD., praeter Otf. Müllerum quique eum sequuntur, in enodando *Λυκαῖον* etymo praesidium a lupo petentes duplicem in eo reperisse opinentur notionem, nempe lucis aut feritatis, earumque alterutra pro lubitu in suum usum arrepta, naturam Jovis Lycaei explicare annitantur, duae omnino diversae ortae sunt de

<sup>20)</sup> Paus. 10, 14.

<sup>21)</sup> Vide in universum quae disputavit V. D. p. 37, 140, 195, 208, 223, 279.

<sup>22)</sup> Lycurgus p. 42.

<sup>23)</sup> Vide ejus excursus in Aeschyl. Sept. contra Theb. p. 317.

<sup>24)</sup> Prolegom. p. 290. Dor. 1, p. 306.

<sup>25)</sup> Bothe ad Iliad. 4, 101. Duncker Geschichte des Alterthums, Tom. 3, p. 23.

Jove sententiae<sup>26)</sup>: 1) Deum lucis esse, 2) Terribilem deum scelerumque humanorum vindicem. Haec sententiarum diversitas cogit nos, ut fabulas antiquas scriptorumque veterum testimonia alius consideremus, quorum pravam explicationem erroris causam extitisse quivis facile intellexerit. Priusquam autem ad explicanda singula accedamus, liceat nobis iis, quorum interest, unum veluti scrupulum injicere. Quid causae est, cur ne una quidem ex istis notionibus, quas lupo subjectas esse volunt, ad illustrandos ritus fabulasque sufficiat, in quibus fit mentio lupi? Dum caeca expectatione pendemus, quid responsuri sint ad hanc objectionem VV. DD., quaeramus, si forte possit fieri, ut alia notio in lupo lateat, verisimilior quam illa lucis, crepusculi aut feritatis. Fabulas antiquas Aegyptiorum examinantibus ultro sese offert lupi cum inferis consociatio. In fabula, quam acceptam retulimus Diodoro<sup>27)</sup>, Osiris, in pugna Hori cum Typhone, auxilium filio ex inferis tulisse dicitur, specie lupina indutus. Apud eundem Diodorum legimus alibi<sup>28)</sup> Osiridem, ut homines a fera vita avocaret, expeditionem suscepisse, sociosque habuisse praeter ceteros Anubin et Macedonem filios, quorum ille canis, hic lupi specie assumpta patrem est comitatus, ubi lupo cum Osiride, quem ipsum diis inferis annumeratum scimus<sup>29)</sup>, jungitur. Pertinent huc etiam, quae

<sup>26)</sup> Hugonis sententiam nemo, quod sciam, amplexus est, quae si cuiusquam arrisisset Jovem Lycæum crepusculi deum esse probatum irret; quod vero ad Müllerum attinet, re consentire cum Creuzero quivis videt.

<sup>27)</sup> Diodor. 1, 88.

<sup>28)</sup> Diodor. 1, 18.

<sup>29)</sup> Plutonem Aegyptiorum a nonnullis vocatum esse testis est

de Rhampsiniti descensu ad inferos ab Aegyptiis quotannis celebrato supra retulimus. Id si teneamus, verendum fortasse erit, ne inter lupo et inferos vinculum aliquod intercedat in antiqua Aegyptiorum religione quaerendum. Suspicionem cuius augere possunt antiqua Aegyptiorum monumenta. In sarcophagorum nempe mumiarumque picturis, ubi animarum in aliam vitam migrationem, ac veluti Tartari arcana effingi consentaneum est ut putemus, videre est lupo formas. Cujusmodi est sarcophagus a Perrotio descriptus et illustratus<sup>30)</sup>, hieroglyphis picturisque ornatus, quarum una mulierem nobis sistit placentam tribus animalibus lupo, cani et arietem porrigentem. Mulierem Perrotius mortui animam esse putat, lupo autem, canem et arietem janitores ante portas Elysii collocatos, nec dubitat, quin his animalibus Graecorum fabula de Cerbero originem debeat<sup>31)</sup>. Quae V. D. sententia non carere fundamento mihi videtur. In alia picturae parte<sup>32)</sup> mortui jacentis corpus apparet, cujus ante pedes duae formae humanae capitibus lupinis conspiciendae adstant, totidemque ante caput accipitris faciem referentes. Custodes vel bona et mala inferorum daemones cogitasse Aegyptios sub istis

Diodorus (Lib. 1. C. 25). Alii eundem Mercurium fuisse apud Aegyptios retulerunt.

<sup>30)</sup> Essai sur les Monies. Histoire sacrée de l'Égypte expliquée d'après les peintures, qui ornent les sarcophages, par J. F. A. Perrot, Antiquaire. Nîmes, 1844.

<sup>31)</sup> Tab. IV. p. 28. Inter lupos Aegyptiorum Cerberumque Graecorum affinitatem quandam intercedere, observavit olim Büttiger (Idéen zur Archäologie der Malerey, 1811, Dresden). Tricipitem illum fingi coepisse putat, quo primum tempore de tricipiti Hecate fabula nata sit.

<sup>32)</sup> Tab. IX.

portentosis figuris quidni credamus? Pictorum certe figmenta haec esse, quae nullum occultum ac symbolicum sensum contineant, quis audacter affirmaverit? Ceterum scimus accipitrem sacrum fuisse Apollini, bonum itaque genium vel lucidum hic repraesentare suspicamur, lupum contra malum, tenebricosum<sup>31)</sup>. In imo praeterea mumiarum margine lupos sedentes aut stantes vulgo inveniri Zoega auctor est<sup>32)</sup>, qui stantes monilia collo gestare dicit, sedentes autem flagello Osiridis armatos effingi. Hammerus tandem testatur plerasque figuras in sceletorum sarcophagorumque picturis lupina habere capita<sup>33)</sup>. Cum igitur haec lupi cum Osiride inferisque in fabulis et monumentis consociatio non possit esse fortuita, quid est, quod dubitemus lupum a plerisque Viris Doctis perpetua luce damnatum in pristinam civitatis infernae possessionem restituere.

Sed ne quid nimis festinanter a me dictum videatur, auxilio veniant Aegyptiorum superstitioni, Aegyptio velut errore imbutae, aliarum gentium opiniones. Videbimus maximam inter eas intercédere similitudinem, ita ut probabile fiat ex eodem fonte omnes dimanasse. Pascitur miraculis ac praestigiis vulgus, mutua vero inter populos commercia patefaciunt iter fabulis easque remotissimae propagant posteritati. Neque adeo morum, religionis, imperiorum immutatio obstat, quominus conserventur, cum in gremio populi lateant ac velut pretiosa hereditas ab illo foveantur. Haud omnino repudianda est sententia

<sup>31)</sup> De accipitre cf. Dornedden p. 296.

<sup>32)</sup> De obelisc. p. 308 — 310.

<sup>33)</sup> Fundgruben des Orients V. p. 273 ss.

Diodori, qui omnes de inferis fabulas ex Aegypto in Graeciam per Orpheum tractatas esse asserit<sup>36)</sup>: Ὀρφεία τὴν τῶν ἐν ἄδου μυθοποιῶν ἀπεπέλασθαι. Cui Plutarchus adstipulatur<sup>37)</sup>. Utrum vero Orpheus an Aegyptii eas transtulerint coloni, directone ex Aegypto cursu, an interjacentes regiones pervagatae per Asiam minorem Thraciamque in Graeciam immigraverint, non est, quod anxie inquiratur. Id potius, quod in rem praesentem facit, videamus. Apud Xenophontem<sup>38)</sup>, ubi de solemnī narrat ritū, quo foedus inter Graecos et Persas percussum est, haec leguntur: ταῦτα δ' ὄμοσαν, σφάξαντες ταῦρον καὶ λύκον καὶ κάπρον καὶ κριὸν εἰς ἀσπίδα, βάπτοντες αἱ μὲν Ἕλληνες ξίφος, οἱ δὲ βάρβαροι λόγχην<sup>39)</sup>. Haec quidem jururunt maclantes super clypeo taurum, lupum, verrem et arielem ac tingentes ense Graeci, hastam autem barbari. Qui notionem lupo subjectam ignorarunt, negarunt omnino intelligi posse, cur in ejusmodi sacrificio lopus commemoretur, ut Ablancourtius a Schneidero citatus, nec non ipse Schneiderus. Huic difficultati suppetias occurrit Bornemannus<sup>40)</sup>, duosque locos affert e Plutarcho et Kleukero, quibus oppido quam mea firmatur sententia. Plutarchus morem fuisse Persis scribit, ut herbam

<sup>36)</sup> Diodor. L. 1, c. 96.

<sup>37)</sup> Plutarch. in Osiride et Osir.

<sup>38)</sup> Xen. Exp. Cyri 2, 2, 9.

<sup>39)</sup> Sic haec interpungenda, non ut vulgo scribitur, comitate post κριὸν posito, quam lectionem post Schneiderum et alios Bornemannus servavit. Cf. Aeschyli Sept. c. Theb. 43. Ταυροσφαγοῦντες ἐς μέλαν δειπὸν σάκος, ubi Schol. αὐτῶ θύοντες ἐπὶ τῶν ἀσπίδων ἐμαρτυροῦντο. Clypei cavo sanguinem colligebant, quare super clypeo victimas maclabant.

<sup>40)</sup> Vide ejus edit. Exp. Cyri 1825.



quandam *homoti* dietam in mortario tunderent Orcum invocantes et tenebras, eamque deinde sanguini lupi caesi permixtam in locum opacum efferrent ac projicerent, πῶαν γάρ τινα κόπτοντες, Ὀρκοῦ καλουμένην ἐν ὄλμῳ, τὸν Ἄδην ἀνακαλοῦνται καὶ τὸν σκότον εἶτα μίξαντες αἵματι Λύκου σφαγέντος εἰς τόπον ἀνήλιον ἐκφέρουσι καὶ ῥίπτουσι<sup>41)</sup>. Qui mos facile intelligitur, si cogitamus, apud Persas lupum Arimani filium et imaginem fuisse, ut testatur Kleukerus<sup>42)</sup>. Quid enim ipse Arimanius nisi Graecorum Pluto? Ita certe appellatum fuisse apud Persas Plutonem, auctor est Hesychius<sup>43)</sup>. Adde Diogenem Laertium<sup>44)</sup>, qui malum deum apud Persas Orcum et Arimanium vocari dicit: *Τῷ μὲν (scilicet Ἀγαθοδαίμονι) ὄνομα εἶναι Ζεὺς καὶ Ὀρομάσδης, τῷ δὲ (id est κακοδαίμονι) Ἄδης καὶ Ἀρειμάνιος*. Eundem itaque fuisse patet ac Aegyptiorum Osiridem, eodemque modo a supersticioso populo cum lupo conjunctum. Ex hac tanta inter Persicas et Aegyptias opiniones analogia cum satis eluceat vera ac propria lupi apud hosce populos significatio, facilius me VV. DD. persuasurum existimo, lupum apud Graecos et Romanos inferis diis sacrum, symbolumque Orci fuisse. Quam sententiam tantum abest, ut non unice veram esse putem, cum multis argumentis possit comprobari. In gemma quadam visitur Hecate duobus capitibus lupinis conspicua, cum quatuor manibus effigiata, duas faces

<sup>41)</sup> In Iside et Osir.

<sup>42)</sup> In Persicis, seu appendice ad Zend-Avestam T. 2 P. 3, p. 78 et 84.

<sup>43)</sup> Hesych. s. v. Ἀρειμάνης.

<sup>44)</sup> Diod. Laer. in prooem.

tenens, duasque sicas<sup>45)</sup>. Quae ista, quaeso, nisi symbolica in terribili inferorum maniumque dea, lupinorum capitum ratio? Hinc facile intelligitur, cur in magicis veneficarum ritibus, quibus praeesse Hecaten scimus, lupus commemoretur. Apud Horatium Canidia et Sagana veneficae inter magica sacra lupi barbam in terram defodiunt:

Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes  
Umbrae cum Sagana resonarent triste et acutum,  
Utque lupi barbam variae cum dente colubrae  
Abdiderint furtim terris, et imagine cerea  
Largior arserit ignis, et ut non testis inultus  
Horruerim voces Furiarum et facta duarum<sup>46)</sup>.

Quemadmodum autem veneficae in incantationibus lupi barba utebantur, sic magicarum artium ignari, eodem velut genere armorum ad avertendas incantationes uti necessarium esse putabant. Qua de re Plinius<sup>47)</sup>: *veneficiis rostrum lupi resistere inveteratum ajunt ob idque villarum portis praefigunt*. Hanc etiam ob causam veneficae induere luporum formam credebantur. Ita Propertius<sup>48)</sup>:

Audax cantatae leges imponere lunae,  
Et sua nocturno fallere terga lupo.

Lupos etiam cicurare potuisse testatur Homerus<sup>49)</sup>; in lupos mutasse homines Virgilius<sup>50)</sup>.

<sup>45)</sup> Catalogue raisonné d'une collection générale des pierres gravées etc. etc. moulées en pâtes par J. Tassie. Londres. 1791, N° 2054.

<sup>46)</sup> Horat. L. 1, Sat. 8, 40.

<sup>47)</sup> H. N. 28, 44.

<sup>48)</sup> Apud eundem legimus sponsas, quo fascinationem averterent, adipe lupino postes aedium unxisse, unde vocis *uxor* origo. Plin. H. N. 28, 9.

<sup>49)</sup> Proper. 4, 5, 13.

<sup>50)</sup> Hom. Odyss. K. 210.

<sup>51)</sup> Virg. Aen. 7, 18.

Quocirca, si notionem in lupo latentem respicimus, non amplius in spectrorum nocturnorum nomine, quae μορμολυκεία dicebantur, haerebimus. Priorem vocis partem ex μορμύρειν esse factam apparet, quod est Lat. murmurare, quo designarentur larvae cum murmure et strepitu per noctis silentium ac tenebras incurstantes. Eustathius ad Odysseam: τὸ ἀναμορμύρειν, ἐξ οὗ καὶ ἡ μινθική Μορμῶ πλάττεται, δαιμόνιον τι φοβερόν<sup>52)</sup>. Quod attinet ad alteram vocis partem, minime dubito, quin a Λύκος sit derivata, ad designanda spectra vel larvae ex inferis prodeuntes. Certe ab ipsa Hecate immitti putabantur, ut Empusa<sup>53)</sup> carniūque esse humanarum avidae, ut scribit Philostratus: ἡ χρησιμὴ νύμφη μία τῶν Ἐμπουσῶν ἐστίν, ἃς Λαμίας τε καὶ Μορμολυκίας οἱ πολλοὶ ἠγοῦνται. Ἐρῶσι δ' αὐταὶ οὐκ ἀφροδισίῳ μὲν, σαρκῶν δὲ, καὶ μάλιστα ἀνθρωπείων ἐρῶσι, καὶ πάλλουσι τοῖς ἀφροδισίοις, οὓς ἂν ἐθέλῳσι δαΐσασθαι<sup>54)</sup>. *Benigna nympha est Empusarum una, quas Lamias et Mormolycias vulgus putat; non venerem illae, sed carnes amant ac praesertim humanas, pellicuntque rebus venereis, si quos velint devorare; hinc μορμολυκεία dicebantur spectrorum imagines, quae pro amuleto contra effascinationes de collo suspensa gestabantur; interdum iis lupi caput insculptum invenimus<sup>55)</sup>.*

<sup>52)</sup> Odyss. XIII, 240.

<sup>53)</sup> Schol. Apoll. Rhod. 3, 8. Cf. Aristoph. Ranae 288. Lobeck Aglaoph. 121, 223.

<sup>54)</sup> Philostr. Vita Apoll. Tyan. 4, 25. Cf. plato de rep. L. 2, t. 2, p. 381.

<sup>55)</sup> Cf. Jahn: Über den Aberglauben des bösen Blicks bei den Alten p. 57.

Nec nisi antiquiorem hanc respexisse videtur vocis significationem Hesychius<sup>56)</sup>, qui Apollinis cognomen Λύκειον interpretatur φοβερόν. Quo sensu etiam virginum chorus in Aeschyli septem contra Thebas<sup>57)</sup>:

Καὶ σὺ Λύκει' ἀναξ, Λύκειος γενοῦ  
Στρατῶ δαίῳ στόνων αὐτᾶς.

Ubi Scholiastes: Λύκειος· πολέμιος; et alius: Λύκει' ἀναξ· ὁ Λύκον ὀλέσας ποτέ; et ad Λύκειος γενοῦ: φθορεὺς, καὶ οἶος ἐφάνης Λύκῳ ποτέ. Quae facilia explicatu sunt modo notionem, quam in lupo reperisse mihi videor, teneamus. Quid enim Apollini, qui deus lucis esse putabatur cum lupo, nisi eum Orci symbolum itaque tenebrarum etiam crederent antiqui? Quod si ita est, est autem profecto, facile fieri poterat, ut fabulam de Apolline lupos interimente conflinxerint, quo designaretur perpetuum quasi inter lucem et tenebras certamen, victoriaque Solis, radiis suis tenebras dissipantis, cujus sub ortum nocturna spectra evanescerent. Haud improbabilis est haec nominis ratio et forsitan placebit iis, qui Apollinem et solem eundem deum semper fuisse putant; sed maxime vereor, ne cognomen Λύκειος ad eam aetatem antiquissimam referendum sit, qua Apollo nondum cum sole confusus inter deos, quos dicimus χθονίους, numerabatur. Naturam dei aliam olim fuisse probabilibus rationibus adducimur, ut credamus. Nam, ut omittamus etymologicam nominis derivationem, quae est ἀπολλύναι, perdere, qui fieri potuit, ut pestem, morbos, locustas ab Apolline immitti

<sup>56)</sup> Hesych. s. v. Λυκεῖον.

<sup>57)</sup> V. 118.



putarent veteres? Quae porro fuit causa, cur victimis humanis a Ioniis placaretur? Scimus enim morem fuisse Atheniensibus, ut Thargeliorum die festo duos homines coronis ceu victimas ornatos ad portas urbis ducerent et cum imprecationibus de rupe praecipitarent. Simile quid in Leucade usu venisse docet Strabo<sup>58)</sup>. Nec praelereundus Schol. Eurip. in Phoeniss. 1416, qui originem proverbii *Θέσσαλον σόφισμα*, *Thessalum commentum*, explicaturus, narrat Diotimum quendam Thessalum, cum oraculum Apollinis consulnisset et ab eo monitus fuisset, ut caveret, ne inimici volis suis eum vincerent, Hecatomben virorum Apollini promississe neque tamen postea voto se exsolvisse, cujus exemplum secutos Thessalos quotannis tale sacrificium deo polliceri, sed numquam exsequi. Ex hoc Thessalorum more, si ejus originem missam faciamus, facile possumus suspicari, Apollinem revera victimis humanis fuisse placatum. Quid tandem innuunt illa nocturna, orgiastica Bacchi et Apollinis sacra ab Atticis et Delphicis mulieribus in summo Parnassi jugo celebrata<sup>59)</sup>, qui locus nostris etiam temporibus, a Graecis illam regionem inhabitantibus *τό Διαβολάλονο* vel *Δαιμονάλονο* (Diaboli abies) appellatur<sup>60)</sup>. Ex quo intelligitur, cur Servius triplicem dicat esse Apollinis potestatem, eundemque esse Solem apud superos, Liberum patrem in terris, Apollinem apud inferos, unde etiam sagittis, quae inter caetera insignia Apollini tribuantur, deum noxium et infernalem

<sup>58)</sup> 10, 452.

<sup>59)</sup> Paus. 10, 4, 2. 32, f.

<sup>60)</sup> Ulrichs Reisen und Forschungen in Griechenland 1, p. 119 ss.

significari<sup>61)</sup>. Haec sententia oppido quam firmatur cognominis *Λύκειος* a *Λύκος* derivatione.

Similiter explicari potest, cur Marti lupus fuerit consecratus; non quia animal cruentum et rapax proprium esse videretur ad significandas bellorum strages, sed quod dei, qui innumeras Orco maclaret victimas et ipse diis inferis est accensendus, aptissimum esset insigne<sup>62)</sup>. Nec alia fortasse fuit causa, cur fluvio Phrygio nomen Lyco inditum fuerit, qui a terra absorptus diuque secreto cursus agens, alio deinde cum emergeret loco, ex inferis redire in lucem putabatur. De quo Seneca<sup>63)</sup>:

Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,  
Exsistit procul hinc, alioque renascitur ore.

Hactenus de veteribus, videamus nunc Slavos ceterosque populos. Mala inferorum daemona luporum formam induere credebat olim superstitiosum Slavorum vulgus, idcirco etiam omnia tribuebat lupis, quae daemoniorum perniciose vi fieri arbitrabatur. Ex quo intelligitur, cur, cum videret solem aut lunam nubibus obrui, hoc tenebrarum cum luce velut proelium ita explicaret, ut lupos invadere solem aut lunam diceret. In occidentalium Slavorum fabulis sol pugnare dicitur cum malo daemone, qui eum adoritur lupi formam indutus. Vel hodie herbam filicti, quae in igneum florem emicare creditur, fama apud Chorutanos est tum florere, cum sol nigrum vincat lupum, ideoque

<sup>61)</sup> Serv. ad Ecl. 5, 66.

<sup>62)</sup> Martem ad deos inferos pertinere docet Henr. Dietr. Müller. Ares. Ein Beitrag zur Entwicklungsgeschichte der griechischen Religion. Braunschweig 1848.

<sup>63)</sup> Nat. Quaest. 3, 26.

daemonia summa vi oblectari ne floreat; sed frustra. Eandem ob causam herbam, cui ab abigenda daemonia maxima vis inesse creditur, praeterquam quod vulgo Cupalo, Volcobo etiam indigetant; Latine *Lupicidum* dicas. In Institutionum veterum Rossicarum libro, qui *Cormtschaia* appellatur, locus est, ubi haec leguntur: siquando interit luna aut sol, lupos dicunt lunam aut solem devorasse. Huc etiam pertinent Chronicorum verba de solis defectu, ubi ille similiter devorari dicitur. Nolim tandem praetermissum, quod veneficas, quas cum daemoniis commercia habere putet vulgus, lupis alatis vehi in fabulis inveniamus. Unde nec magicorum medicaminum compositiones sine lupi corde a veneficis fieri putantur. Quam analogam haec sint cum veterum idololatrarum fabulis ac magicis ritibus ex iis, quae supra retulimus, patet. Ex eodem fonte fluxerunt nonnulli ritus sacri. Coladae festum celebrantes Slavos in Polonia lupi vel tauri imaginem circumduxisse memoriae proditum est, quacum ante domos subsistentes carmina cecinisse ludosque celebrasse.

Non aliena ab his sunt, quae de Germanis leguntur. Nomen ipsum lupi, recte observante J. Grimm<sup>64)</sup>, cum in lingua veteri Germanica *Varg* audiat, comparari potest cum Slav. *Vrag* (hostis), quod in dialectis quibusdam Slavicis daemonium malum significat. Accedit, quod vetulas in silvis degentes (easdem sagas esse puta) lupos a venatoribus exagitados in casis suis occultare credant rustici, ideoque luporum matres (*Wolfmütter*) eas vocent, quod

<sup>64)</sup> Deutsche Mythol. 2, 948.

praeterea in magicis incantationibus, quoties veneficae conjuges novos perdere constituerint, lupi corde eas uti putet vulgus, quo in viam proiecto perterrefactos equos per devia locorum currum rapere atque frangere.

Quamvis huc usque a me disputata ejusmodi sint, ut non amplius de lupi notione ambigi queat, verumtamen sententiae meae unum sublegere placet e Scandinavorum fabulis firmamentum. En mundi interitus ex eorum opinione descriptionem<sup>65)</sup>: solem et lunam continuo insectari dicuntur duo lupi e *Phenridis* genere summaque vi niti, ut his astris potiantur. *Phenris* nomen lupi est ab impuro daemone *Loca* oriundi. Huic tres filii fuere *Lupus*, *Serpens* et *Gela* (*Mors*). Dii nutrivere lupum, verum admoniti imminere sibi ab illo exitium, catena compescendum eum statuerunt, quam cum saepius rupisset, magica tandem catena ab ipsis fabricata, cujus firmitudo formidabili lupi robori resistere posset, ad rupem fuit alligatus. Ante mundi interitum per triennium hiems erit acerbissimumque frigus, gelidissimique venti, ipseque sol pristina benefica vi sua privabitur. Hoc temporis spatium in *Edda* *lupinum* appellatur. Hoc etiam proeliorum caedumque tempus erit infernique daemones, vinculis soluti, contra deorum *Superum* opera coniunctis viribus irruent. Calamitatem exceptura est calamitas. Luporum unus devorabit solem, alius potietur luna eamque terribili afficiet damno, sidera a firmamento avulsa decident, terra crebris concutietur motibus libertatemque suam *Phenris* recupe-

<sup>65)</sup> Grimm 318, 634.

rabit. Immenso rictu diducet ille rostrum, cuius pars superior attinget coelum, inferior terram. Aëre tandem et mari incensis coeloque fracto, Phenris devorabit Odinum<sup>66</sup>).

Plura ad eandem rem probandam congerere taediosum foret. Quomodo autem factum sit quaerentibus, ut ejusmodi symbolica notio lupo accesserit, sententiam meam aperire haud detrecto. Animus vulgi superstitione imbutus vanis terroribus obnoxios esse quotusquisque est, qui nesciat? Quodnam vero tempus magis ad terrorem augendum aptum est, quam nox, quae proinde, juxta poetarum descriptionem, Erebi filia, Furiarum mater, Somni et Mortis nutrix appellabatur. Quapropter, simulac tenebrae terras oppresserint, observari spectra, insidias struere daemonia, sagasque nefanda peragere ministeria, sicut hodie, ita etiam antiquissimis temporibus credidisse rudes vulgares consentaneum est, ut putemus. Quod cum ita esset, facile fieri potuit, ut lupum, feram cruentam, quae potissimum per noctem grassari soleret ululatibusque rumpere noctis silentia, cuius in tenebris igne micantes oculi tanto majorem incuterent terrorem, pro symbolo tenebrarum maximique noctis Arbitri, umbrarumque potentis Orci, ut verbis Claudiani utar<sup>67</sup>), acciperent. Id innuit

<sup>66</sup>) Quae de Slavis, Germanis, Scandinavis retulit debere me fateor Cl. V. Athanasiev, ejus de zoomorphicis diis apud Slavos commentatio in Ephemeridibus Patriis, Petropoli, anno 1852 impressa prodit. Quam late Medio aevo per Europam disseminata fuerit opinio de hominum in bestias et praesertim lupos transmutatione, quae fieri credebatur daemonum vi praestigiatoria, multis docet Rud. Leubuscher in Dissert. de Lycanthropia Medio aevo. Berlin, 1850.

<sup>67</sup>) Rapt. Proserp. 1, 55.

etiam magna lupi et canis similitudo, quam consecrationis illius fuisse causam opinabantur jam Aegyptiorum nonnulli, teste Diodoro<sup>68</sup>). Canem certe inferis diis sacrum fuisse non ambigitur. Hecates furiarumque comitem vocatum scimus diisque inferis immolatum<sup>69</sup>). Unde et custos Manium ac veluti libitarius a Horapolline appellatur: *ἐνταφιαστής εἰδώλων ὑπ' αὐτοῦ κηδευομένων*<sup>70</sup>). Nostris etiam temporibus canem nigrum eandem symbolicam habere in vulgi mythologia significationem omnes norunt.

Notionem lupo subjectam ultimae antiquitatis colorem prae se ferre fabularum rituumque, in quibus ille occurrit, arguit indoles. Oblitteratam apud Graecos et exstinctam invenimus, quippe quam auctores nusquam ne verbo quidem memoravere. Hoc jam dicendum de Pausaniae tempore; neque enim, quo loco de Jove Lycaeo narravit, eam silentio praeteriisset, si quicquam ex sacerdotum aut vulgi traditionibus compertam haberet. Quin anteriorum Pausania auctorum nemo, quod sciam, ne Diodorus quidem, qui consecrationis lupi apud Aegyptios causas explicare studuit, de ea retulit. Similiter Scholiastae omnino eam ignorasse videntur. Quod fieri nequii, si lupus in sacris publicis, quemadmodum Xenophontis tempore, aliquem habuisset locum. At cum ille nonnisi in vulgi fabulis sagarumque arcanis ritibus antiquum servaret honorem, non est quod miremur, notionem ei subiectam doctioribus fuisse incognitam. Haec auctorum ignorantia

<sup>68</sup>) L. 1, c. 88.

<sup>69</sup>) Heind. ad Hor. Sat. 1, 8, 35.

<sup>70</sup>) Hieroglyph. 1, 39.

adducit me, ut ritus fabulasque, in quibus lupi mentio sit, reliquias esse antiquissimae religionis situ ac senio obsitas fidenter asseram.

Primum praecipuumque illius religionis elementum deorum inferorum (*θεῶν χθονίων*) cultus fuisse videtur, utpote qui a hominum agrestium rudiumque ingenii non abhorreat<sup>71)</sup>. Homo agrestis et naturalis, cuius tota vita nihil aliud erat, nisi continua luctatio cum validis naturae viribus, cum omnem vim divinam in natura sitam esse arbitraretur, quam, obsecro, aliam poterat in animo informare notionem deorum nisi eos terribiles esse ac metuendos. Terrore certe attonitus prius fuisse, quam magnitudinem utilitatum, quas naturae beneficio perciperet, intellexisset, existimandus est; neque beneficam cunctisque vitam praebentem solis vim aut fecunditatem terrarum ad informandas deorum notiones aequae valere potuisse, ac tonitruum fragorem, fulminum ictus, subterraneorum ignium eruptiones, incendiorum ruinas, aquarum molem terras quassantem, vastitatemque secum ferentes nimbis, nivibus grandinibusque gravidas tempestates. Harum rerum contemplationem causam fuisse cur dii esse crederentur putarunt jam veteres<sup>72)</sup>. Ad has físicas rationes accessit mortis timor. Cum enim videret alios in fluviorum voraginibus, alios in montium barathris, in silvis alios a feris laceratos, vel quocunque

<sup>71)</sup> Cf. Baumlein Pelasgischer Glaube und Homers Verhältniss zu demselben in Zimmermanni Ephemeridibus 1839 p. 1185.

<sup>72)</sup> Ut Cleanthes apud Cic. de N. D. 2, 5. Non abluunt hinc ista Petronii in fragm. primus in orbe Deos fecit timor. Cf. Stat. Theb. 3, 661.

modo uspiam exanimatos interire, rem ita explicabat, ut ubique locorum vitae humanae insidiantes deos sibi fingeret. Sed nescio an plurimum ad illas notiones momenti mortuorum sepulturae attulerint, ut observat Bäumleinus. Summum enim jus summamque terrae esse sentiebat in homines potestatem, omnesque ejus praedam fieri tantum non quotidianis exemplis edocebatur. Corporibus humo tectis, cum ita mortuos in ditionem terrae traderet, in imis ejus penetralibus numina putabat esse, a quorum arbitrio penderet, quae sibi carissima esset vita. Quapropter jam antiquissimi Graeci terram Matrem Deum et *πρεσβυτάτην θεῶν* indigetabant<sup>73)</sup>. Ea fuit religionis origo apud omnes idololatrias. Eorum dii sub terris habitantes vitaeque hominum inhiantes, sanguine ut plurimum humano erant placandi, in terrae specubus, per noctis tenebras, cum pio terrore animique consternatione. Verum enim vero procedente tempore opinionones immutatae: ex quo homines coeperunt utilitates diis acceptas referre et simul bonum a malo in semet ipsis discernentes, de bonorum praemiis, malorum poenis cogitare, novae vires diis sunt attributae novaque numina nata, aut plerisque terribilibus ante et noxiis benefica vis accessit, ita, ut in sceleratos tantum saevire crederentur. In montium jugis, unde despiciebant res humanas, erectae arae, mollior mos ritusque sacrorum introductus. Ex quo perspicuum est, cur non solum antiquissimi dii, sed plerique eorum, qui recentiores putantur, duplicem naturam habeant, ita ut, si poetarum commenta fabulasque vulgi,

<sup>73)</sup> Hom. Hymn. 13. Procl. in Plat. Tim. Hesiod. Deor. gener. 453 — 457. Apollod. 1, 1.

ritusque sacros respiciamus, ad deos inferos et superos simul pertinere videantur. Quae quorundam deorum naturae diversitas magnum plerisque interpretibus facessere solet negotium, nec pauci fuere, qui, cum sibi praesto esset tanta veterum fabularum farrago, recentiores cum antiquissimis, haud perspecta earum indole omnique discrimine sublato, confuderint, omnemque figmentorum copiam ad unum velut religionis systema redegerint. Illi non attendisse animum mihi videntur, quantum inter fabulas, pro temporibus et locis, discrimen soleat intercedere, quarum multas ex ore vulgi collectas non ad tempus, quo collectae sint, pertinere, aut si quae pertinent, non ejusmodi esse, ut ex iis de religione possit judicari. Exemplo sint mirae vulgi nostri fabulae, quas religionis partem constituere quotusquisque est, qui dixerit.

His praemissis ad Jovis naturam adumbrandam accedamus. Cum Arcadium antiquissimam esse Pelasgorum sedem memoriae prodiderint antiqui, sive Arcadum opinionem seculi, qui se indigenas et ante lunam editos praedicabant, sive quod eos minime cum peregrinis permixtos crediderint, sive tandem antiquam vitae morumque simplicitatem spectantes, quam inter ceteras Graeciae nationes Arcades diutius retinere, consentaneum est, ut ibi etiam antiquissimae religionis vestigia quaeramus. Nec profecto in ceterarum regionum ulla tot tamque insignes illius reliquias deprehendi posse viderunt jam alii<sup>75)</sup>. Inter deos inde a primis temporibus in Arcadia honoratos

<sup>75)</sup> Cf. supra laudatus Baumlein.

fuere: Jupiter et Mercurius, quibus sacra Lycaon Pelasgi filius instituisse dicitur, Juno, Ceres, Pan et Aesculapius. Eos omnes in religione veteri conjunctionem affinitatemque cum inferis habere constat, praeter Pana, quem initio a ceterorum deorum natura non longe abfuisse nescio an ex cognomine *Αυχαιος*, quod et ipsi inditum fuit, colligi possit. Accedunt, quae de ejus cultu a Pausania relata accepimus<sup>76)</sup>. Ad antiquissimos Arcadum deos pertinebat, oraculumque habuit et templum, ubi ignem ei perpetuum aiebant. Jam oraculum, quod non sine instinctu deorum inferorum fundi credebatur, nonne dei naturam demonstrare videtur? Quid ignis, quem et Vestae, Plutonis uxori, dicatum fuisse scimus? Ceterum terribilem esse deum, qui impios poena afficeret, vetus opinio erat Arcadum. Praeter hosce deos magnus ubique per totam Arcadium honor Dianae et plurima templa<sup>76)</sup>. Non praeterendus tandem Furiarum cultus, quarum duo memorantur templa ad radices montis Lycaei<sup>77)</sup>. Cultuum antiquitatem testantur cum simulacra deorum prisca, quorum alia nigri coloris, alia vero manibus cum corpore junctis cruribusque individuis vidit Pausanias, tum copia magna locorum traditionumque vernacularum, quae ad memoriam remotissimae antiquitatis deorumque origines spectabant.

Si vera igitur sunt, quae de etymo *Αυχαιου* supra diximus, quae potuit esse alia appellationis hujusce causa nisi Jovis vim ad inferos pertinere crediderint antiqui?

<sup>76)</sup> Paus. 8, 37.

<sup>76)</sup> Paus. 8, 5.

<sup>77)</sup> Paus. 8, 34.

Ut ita sentiamus, suadere videtur cum illa probabilis ratio, qua antiquissimi populi informare in animo soleant notiones deorum et religionis veteris apud Arcades vestigia, tum vero etiam, quae de Jove Lycaeo prodita sunt memoriae. In nota de Lycaone fabula, cum eum dicerent Arcades Jovi sacra instituisse, nonne hac ipsa re naturam Jovis voluerunt significare? Atqui ipsum nomen Lycaonis cum a *Λύκος* veniat, cum daemonio est cognatum. Unde etiam ejus filius, quem terrae rogatu servatum ferunt, cum Jupiter ceteros fulmine percussisset, vocatur Nyctimus, id est Nocturnus. Ex eadem fabula colligimus Jovem Lycaeam humano sanguine olim placatum fuisse, perinde ac ceteri dii *χθόνιοι*, quem morem multis etiam seculis post obtinuisse tradit Porphyrus<sup>78)</sup>. Quamvis mirum videri possit, cur Pausanias, qui tanta cum diligentia ritus sacros caerimoniasque perscrutatus est, nihil de eo retulerit. Certe non ille tam inhumanum morem, postquam victimae humanae in tota Graecia jam dudum erant abolitae, si etiam tum durasset, silentio praetermisisset, qui, cum sacra Jovis in operto (*ἐν ἀπορρήτῳ*) fieri dicat, et mox subjungat se noluisse ritus curiose inquirere, non ita est intelligendus, quasi ob eorum atrocitatem ab inquirendo abstinuisset. Platonis verba Min. p. 315 c., ubi sacra Lycaea non communi apud Graecos ritu fieri dicuntur, nihil probant. Imo Pausanias ipse alio loco rem extra omnem dubitationis aleam ponit. In colle urbis Pallantii fanum esse deorum narrat, qui *Καθαροί*, id est puri cognomine appellantur,

<sup>78)</sup> Porphyr. de Abst. 2, 27.

atque hujus appellationis causam fuisse conjicit, quod illis Pallas, Lycaonis filius, non eodem ritu sacrum fecerit, quo pater ejus Jovi Lycaeo<sup>79)</sup>. Sed maxime impediunt, quominus Porphyrus fidem nobis faciat, Arcadum illius temporis de Jove opiniones. Neque enim, ut olim, infernum et noxium numen erat, sed summus deorum hominumque pater, scelerum vindex, in bene meritos autem beneficus. Fulmine percusserat ille quondam impium Lycaonem, qui ei exla infantis inter sacra apposuerat, at clemens facilisque erat in hominum precibus audiendis, si quando segetes Arcadicae siccitate arecebant, imbribusque eas recreabat<sup>80)</sup>. Veruntamen, quod proprium divinae majestatis est, non sine noxa et piaculo aream ei consecratam adire licuit, ita ut, si quis loci religione contempta introisset, intra annum e vita excederet<sup>81)</sup>. Hanc maiestatem dei cum sacerdotes magis augere vellent aciemque colentium praestringere, addebant et alias prodigiosas narrationes. Homines aiebant et bestias, quae forte intra illius loci ambitum steterint, nullas e corporibus umbras projicere<sup>82)</sup>.

Cum igitur vis Jovis Lycaei tempore historico longe ab illa antiquissima recessisset, facile intelligitur, cur Pausanias eum non a *Λύκος* ita appellatum dixerit, verum a monte Lycaeo. Neque enim, si Jupiter natura peculiari esset, qui prisco ac barbaro ritu victimis humanis placaretur, fieri poterat, ut nemo de illa vel unum saltem

<sup>79)</sup> Paus. 8, 44.

<sup>80)</sup> Paus. 8, 38. Quapropter colebatur in quodam Arcadiae vico sub titulo Boni dei. Paus. 8, 36.

<sup>81)</sup> Paus. ibid.

<sup>82)</sup> Paus. ibid.



verbum mussaverit. Eadem causa est, cur in nullo, quotquot habemus antiqua monumenta, juxta Jovis effigiem lupus conspiciatur, quem certe in nummis Arcadicis, si animal ei sacrum fuisset, inveniremus<sup>83)</sup>. At contra jam Pausaniae tempore duae aquilae peryetusti operis ante aram Jovis in montis Lycaei cacumine positae viscebantur et ipse mons ab Arcadibus Olympus dicebatur<sup>84)</sup>, unde minime dubium est, quin Jovem Lycaeum non secus ac Olympium, ex communi ejus aetatis Graecorum opinione, Arcades coluerint.

Ex hac duplici antiquiore et recentiore Jovis naturae fabulas supra a me relatas fluxisse quivis videt. Accedunt, quae Arcadum vanitati, qua Jovis vernaculam esse originem contenderent, sunt tribuendae. In monte Lycaeo natum asserebant ibique a nymphis Thisoa, Hagno et Neda educatum, et quo magis Cretenses Jovem sibi vindicantes erroris convincerent, locum, ubi natus fuerit, ostendebant, quae Cretea dicebatur<sup>85)</sup>. Hoc senioris temporis commentum nihil aliud docet, quam opinionem de Jovis in Creta natalibus fuisse antiquiorem et in Graecia vulgatissimam, alioquin minime opus fuisset, ut nominis similitudine certarent. Neque alia fuit causa, cur inter nymphas, quas Tegeae insculptas arae Athenae se vidisse tradit Pausanias, nomen Idae, montis in Creta insula, Jovis natalibus clari, confinxerint<sup>86)</sup>. Rheam et Oenoam

<sup>83)</sup> In nummis Arcadicis Jupiter stans effingitur, hastam aut sceptrum sinistra gerens, aquilam dextra sustinens. Eekhel 2, 293.

<sup>84)</sup> Paus. 8, 38.

<sup>85)</sup> Paus. 8, 38.

<sup>86)</sup> Paus. 8, 47.

